



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 11. Epistolæ ad Cardinales Romanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV.

A. C. 1408.

§. XI.

*Epistolæ ad Cardinales Romanos.**Preuv. p. 500*  
*Duboulai*  
*p. 162.*

Postero die 22 Maji an. 1408 Rex ad Cardinales Romanos dedit epistolam: ubi malam in fidem alienosque a pace animos Gregorii, Benedictique investus Cardinales per nomen Dei obsecrat, ut deserto illo (Angelum Corrarium vocat) cum Collegio altero in eundem conveniant locum. Id si faciant, se offerre ipsis suam opem, sua bona, suam Galliam, & quidquid suum esset. De cæteris rebus agendis loquerentur cum Alexandrino Patriarcha, & sociis ejus, quos haberent præsentem. Nondum constabat Parisiis, Cardinales Romanos relicto jam Papa Gregorio Pisas abiisse.

*Libert.*  
*p. 502.*  
*Duboulai*  
*p. 163.*

Quarto Calendas Junias etiam Universitas apud Mathurinos ad eosdem Cardinales scripsit litteras, in quibus ait: Res tota in vos recidit: vestrum modo est curare, ut congregato utroque collegio, & ambobus æmulis destitutis unum solum Papam accipiat orbis. Hac de materia scripsimus ad Cardinales nostrarum partium. Exponit nervosissimam contra duos Papas epistolam suam: denique obtestatur Cardinales Romanos, ut se conjungant Avenionensibus.

§. XII.